

hæc appropriat I. Reg. V. 5. c. VIII. 17. II. Chr. VII. 18. quæ loca omnia huic promissioni parallela videntur. Sed hæc loca negamus parallela esse huic promissioni. Ista promissio I. Chron. XXII. 9. & XXIX. 23. ad quam cætera adducta loca spectant, tempore posterior tuit hæc nostra promissione & unice respicit Salomonem, non Christum, valdeq; probabile est, hanc promissionem Davidi esse tactam circa tempus factæ aut certè si ita placet, instantis jam natiuitatis Salomonis, quod verbum *שָׁלוֹם* & impositio nominis proprii ad oculum demonstrat, quo sine novo iudicio ne certus quidem esse David potuisset, quis è tot suis filiis divinitus designatus fuisset. Differunt ergo tempore hæ duæ promissiones, altera de solo Salomone, & altera eaqve prior de solo Christo agens. Porro ista agit de domo materiali, hæc de domo spirituali: Illic promissio conditionata est, si custodierit Salomon legem Domini, hinc sine conditione & absolute dicuntur omnia. Ex quibus omnibus, *ἡμετέραν* nostram non de Rege Salomone, sed unice de eo, qui Regum omnium Rex est, Christo Jesu agere, luculenter patescit: Ne quid nunc dicamus de firmiter tenenda Verbi Divini quoad sentum simplicitate, quæ omnem mixturam talem remotam esse per se cupit atqve iubet. Salomoni autem quædam hinc dicta esse, ut futuro Patri Christi, id quidem non opus est multis refelli, cum cognitum sit ex Evangelistis, Salomonem nunquam Christi Patrem esse factum. Reliquum jam est, ut usum oraculi hæctenus expositi brevibus quoqve adumbremus. Sicut enim omnis Scriptura, uti *θεόπνευστος*, ita & utilis est ad doctrinam, ad redargutionem ad correctionem & ad admonitionem in iustitia juxta 2. Tim. 3. sic & locus hicce noster insignes præstat

usus. Esto igitur,

**SECTIO**